

CATALOGUS

VIRO RUM SANCTITATE ILLUSTR IUM
E CONGREGATIONE CASINENSI


A L I A S

S. I V S T I N Æ
P A T A V I N Æ
A U T H O R E

REVERENDISSIMO P. D.

MARIANO ARMELLINO

EJUSDEM CONGREGATIONIS
S. PETRI DE ASSISIO
A B B A T E



A S S I S I I

Ex Typographia Andreae Sgariglia Impressoris Episcopalis,
& Publici Anno Domini LDCCXXXIII.
Superiorum permissu.

COAT OF ARMS

CONGREGATIONE CASINENSIS

S. I. V. S. T. I. N. E.

P. A. T. A. V. I. N. E.

A. U. T. H. O. R. E.

REVERENDISSIMO P. D.

**Homines Divites in virtute , pulchritudinis
Studium habentes.**

ECCLI. 44. v. 1.



COGREGATIONE CASINENSIS

CONGREGATIONE CASINENSIS

C A T A L O G U S

VIRORVM SANCTITATE ILLVSTRIVM E CONGREGATIONE CASINENSI.



ALOYSIUS CARAFA natus est Neapoli anno 1589. die 15. mensis Julii; *Scipio* illi nomen è sacro Fonte inditum, velut in præfagium spiritualis militiae, cujus adversus Principes tenebrarum, pugil strenuissimus erat futurus: Parentes æque nobiles, ac pii Fabritius Carafa Dux Andriæ, & Maria itidem Carafa Principis Stigliani filia, tantæ virtutis femina, ut *Speculum Christianæ Perfectionis* à Daniele Bartoli in vita Vincentii Carafa Aloysii Fratris, ac postea Soc. Jesu Præpositi Generalis jure, ac

A
I.

Patria, Parentes, Monastica Professio.

merito nuncupetur; Pietatem itaque à Genitoribus una cum lacte nutricis hauritam Aloysius ingenti fenore adauxit. Pene Infans Cruce equestris Ordinis Hierosolymitani insignitus, eam anno 1604. ætatis suæ 15. Monastica D. Benedicti Cruce, pænitentia Professoribus adscribendus, commutavit, eo sane ardentis spiritus fervore Perfectionis iter arripiens, ut in stadio hoc percurrendo fræno potius, quam calcaribus indigere à proprio Magistro sit creditus. Humilitas, modestia, obedientia, silentium illi in deliciis fuere; cella, in qua tempus omnè quod à communibus exercitiis reliquum erat, clausus manebat, virtutum omnium palestra

Exacto tyrocinio, demandatam sibi infirmorum curam diligentissime obivit, propriis ipse manibus alimenta, simulque proprio ore monita salutis illis peramanter ministrans; quod idem in excipiendis hospitibus ad Regulæ nostræ præscriptum, illi mos erat, in re quacumque etiam viliori eisdem inserviens; nec erubuit aliquando Vincentio Carafa patruo suo, [ita ut erat ad ollas, aliaque vascula detergenda præcinctus] è culina prodeuntem, conspiciendum sese præbere, adeò sibi despectus, mundoque mortuus evaserat.

II.

Humilitas.

Fulgorem tantæ lucis nequaquam sub modio abscondendū ejus Abbas arbitratus, Restorem Cœnobii S. Renati in Urbe Surrêto, quod Monasterio S. Severini adnexum est, & subest, illum constituit, unde quum ejus Sanctitatis fama quaqua-versum diffunderetur, cæca mulier, frigida, qua ille inter sacrificandum manus abluerat, oculos aspergens, illico amissum lumen recepit. Neapolim revocatus, vix trigessimum ætatis annum attingens, Tyronibus instruendis præficitur, ut qui sibi, suiq̃ue animi motibus tam sancte imperare didicerat, noviter religionem ingressis, perviam Monasticæ perfectionis semitam demonstraret. Laboriosum, sed æque maximi momenti munus triennio gessit, quo vero animarum fructu, quo Cœnobii decore, quo regularis observantia incrementum, discipulorum ejus [inter quos *Angelus Perfectus*, qui Aloysii Vitam Italice scripsit, eminuit] egregia virtus, & Cœnobitici Instituti ad obitum usque servatus zelus satis ostendit; quod quidem tum ab vivæ vocis assiduis documentis, tum etiam ex sanctissimæ Regulæ ab unoquoque, ipsius jussu, memoriae demandatæ indelebili recordatione, potissimum promanavit.

III.

Officia;

- A** IV. **Prioris mu-**
uus. Crescente itaque in dies ejus virtutum apud omnes admiratione, D. Simplicio Caffarello S. Severini Abbate procurante, à supremo Diffinitorum magistratu in Comitibus Generalibus Prior eligitur. Functus est hac provincia primò in Monasterio Castrovillarum, quod est Calabriae Oppidum, integro anno, deinde Neapoli in S. Severino, mirabili ubique prudentia, & charitate, ac veluti lucidissimus Sol abusuum omnium umbras, qui in Monasticam observantiam sensim irrepserant, solo aspectu fugavit. Per id temporis Vesuvius Mons, nova, horrendaque in dorso voragine reserata, flammarum non tantum globos, sed etiam, [quod haecenus invisum] aquarum ebullientium rivos, imo potius flumina eructans, Neapolitanæ Urbi ingentem metum, agris autem, locisque adjacentibus ruinam, ac vastitatem afferebat. Tum verò Aloysii zelus, ac virtus, maxime enituit. Monachos enim ad frequentiores, ac ferventiores orationes adhortatus, ut nudis pedibus media hyeme celebriora Urbis templa religiosissimæ supplicationis ordine, proprio præeunte exemplo, semel, ac iterum adirent, author fuit, his enim precum, ac pænitiæ fructibus, affirmans, divinam indignationem averti oportere; idque ut libentius fieret, asseveranter edixit, nemini ex illa actione quidquam detrimenti, aut ægritudinis oriturum. Promissi fidem veridicam fuisse, exitus comprobavit.
- V.** **Abbatis Di-**
gnitas. His meritis ornatus, Abbatis insula redimitur, & ad regendum S. Flaviæ Cœnobi-um, in oppido, quod Arabico vocabulo, Calatanixeta adhuc dicitur, in Siciliam dirigitur; Nec ita multo post ad Monasterium Beatissimæ Virginis Miraculo-rum in Urbe Apuliæ Andria nuncupatâ ejus familiæ Dynastia, gubernandum, transferitur, quò dum pergeret, horribilem tempestatem undique ingruentem, jamque tonitruum, fulgurum, ac fulminum metuendo apparatu, navi, qua vehebatur, appropinquantem, oratione longius submovit, atque incolumis una cum Nautis, aliisque Viatoribus in eam provinciam pervenit.
- VI.** **Zelus.** Ibi optimi regiminis specimen dedit: Erga Deiparam piissimus, in ejus Sacello innumeris miraculis jugiter coruscante assidue orans, Ecclesiamque propriis manibus frequenter everrens: Festorum observantiam ab omnibus scrupulosissime exigebat, nullum servile opus, quantumvis minimum in eis fieri permittens: quæ de causa Cellerarium, qui Amygdalas [puto non paucas] in die festo tundi jusserrat, gravi penitentiâ mulctavit. Divini cultus zelo æstuans, sacram sinaxim alta, & morosa voce, ut eos decet, qui Angelicam Hymnodiam in terris amulantur, cani volebat. Nec Monachis etiam in rebus levioribus quasilibet transgressiones impune permittebat, probe intelligens, eos qui modica spernunt, in graviora paulatim dilabi, faciliusque regularem disciplinâ in primo gradu sartam tectam servari posse, quam efficere, ne de secundo ad infimum subjade proruat, multoque difficilius semel collapsam restitui. Maximam proinde curam adhibebat, ne Monachi cum viris secularibus plus æquo conversarentur, utque illi, si quando ad Monasterium accederent, citissime dimitterentur; qui enim sæculum, cum actibus suis, tanquam tenebricosam Ægyptum fuga jam evaserunt, nonnisi cum ingenti animarum suarum periculo, & sæpe etiam detrimento ad illud reverti possunt, cum verissime S. Leo Papa pronunciet, *Neceffe est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.* Cum quadam vice Monachos detecto capite invicem colloquentes conspicatus esset, statim ad eos misit, qui suo nomine eos moneret, ut caput regulari tegumento illico operirent, id enim Monasticæ modestiæ, & gravitati congruere, ut nostræ sanctiones jubent.
- VII.** **Caputio.** **Exemplum.** Ad hæc autem, aliaque id genus, fortiter, & suaviter obrinenda duo præcipue, eaque validissima subsidia acersavit, proprium scilicet in omnibus, quæ ab aliis exquirebat, exemplum, communibus semper observantiis assistens, communi men-

A

mensa, imo longe parciori convescens, & assiduos, fervidosque de rebus spiritualibus sermones, & ad monasticam perfectionem ignitas paræneses, atque ita gregem suum, utpote bonus Pastor, verbo, & exemplo jugiter pavit. Ea autem charitate erga omnes se gessit, ut Fratri cuidam Oblato, qui culcitra ad lectum indigebat, eam, qua ipse utebatur, proprio lecto detractam libens concesserit, pallio interim in ejus locum expanso. Denique etiam in re familiari Coenobium egregie adjuvit, gravi ere alieno, quo antea tenebatur, illud exonerans. His accedebant frequentia miraculorum prodigia, quæ sicut illi venerationem, ita ejus dictis efficaciam magis, magisque conciliabant; nam Opilionem quendam ejusdem Andriensis Coenobii, qui dementiâ, vel ut alii suspicati sunt, Caco-demonis vi, eò furoris processerat, ut horrendis clamoribus omnia replens, se ipsum dentibus dilaniaret, oratione, & crucis signo curavit, pristinaque incolumitati, ac quieti restituit.

Sed satis jam Aloysio aliis præfuisse videbatur: vehemens desiderium Deo arctius sese uniendo, illique unice vacandicum impulit, ut in proximis Comitibus abdicatorem à dignitate efflagitaret, qua impetrata, Neapolim reversus, non ita multo post majoris solitudinis amore captus, & Creatori liberius, ac penitius in sanctis meditationibus deservienti flagrantiori studio incensus, in ruralem Monasterii domum ad radices Montis Vesuvi, [ubi olim Octaviani Augusti Villa, in qua & obiit, *Ottajano*, corrupto nonnihil vocabulo etiam nunc dicta] quinque millia passuum à Neapoli distantem secessit, ubi eremiticam vitam agens, quatuordecim annorum spatio constanter mansit, nihil omnino terrena curans, sed tantummodo dies antiquos cogitans, & annos æternos in mente habens; Ibi sensuum omnium cruciatus, sui ipsius abnegatio, assidua rebus cælestibus mentis adhæsiō, abstinentiæ rigor, silentii custodia, penitentiae asperitas, chameuniarum perseverantia, atque super hæc omnia intima, & humillima erga Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, & Beatissimam Deiparentem obsequia ejus erant quotidiane, & omnium horarum exercitationes, & quamvis variis Satanæ insidiis, molestiis, terriculamentis, plagis denique, ac verberibus, ut ab incepto vitæ adeo ipsi insensæ instituto desisteret, impeteretur, eum tamen ille ardentissimo Christi amore, jugi oratione, ac haud intermisso jejunio impavidus debellabat; Carnes siquidem numquam nisi in ultima ægritudine obedientia tamen adactus, & sane parcissime, & ad succum redactas comedit. Caterum toto vitæ religiosæ decursu alternis diebus solis leguminibus, vel herbis, & ad summum postremis vitæ annis cibis solummodo quadragesimalibus vesceretur. Adeo autem hominum, & maxime mulierum quamvis arctissimo, & proximo gradu propinquarem ne dum colloquia, sed visum quoque hic nemorum colonus averfabatur, ut cum aliquando Diana Caracciola Ottajani Principis Uxor, eum de rebus spiritualibus consultura, domum, in qua ille morabatur, fuisset ingressa, nequaquam ad se permiserit eam accedere, sed insalutatam abire jussit; quod tamen tantum abest, ut illa ægre tulerit, ut etiam majore admiratione Viri Dei concepta recesserit; quæ enim ratione admittere poterat, vel gustare hominum consuetudinem, qui Deo familiariter adherens, supernis illustrationibus, visionibus, ac revelationibus ab eo dulciter adeo detinebatur?

At quamvis in hac dilecta solitudine libentissime moraretur, illam nihilominus ex obedientiæ præscripto prompto animo dereliquit, & Neapolim rursus revocavit, imo, verò eam non reliquit, sed in aliam, & fortasse arctiorem commutavit, nempe in cellam satis angustam, in qua tredecim adhuc annis, usque videlicet ad obitum inclusus mansit, ad Eucharisticum dumtaxat sacrificium peragendum, divinasque in Choro laudes concinendas egrediens, nullum unquam ex suis propinquis intra

VIII.

Abdicatio

Solitudo

De Dæmone Victoria

Penitentia

IX.

Observantia

- A** intra cellam recipiens, imo eorum etiam presentiam summo studio declinans; *Oblitus* penitus *populum suum*, & *domum patris sui*. Silentii observantissimus, signa pro verbis, uti Regula jubet, ut plurimum usurpabat. Paupertatis Evangelicæ rigidissimus custos, nullum unquam donum à quocumque oblatum accipere voluit, & si quando renūere non posset, statim infirmis, vel pauperibus dispartendum curabat: in cella nihil pretiosum, nihil superfluum, imo nil admodum commodum, in vestibus nihil curiosum, sed omnia valde parca, & humilia. Inviictam patientiam in omnibus, maxime autem in infirmitatibus, in doloribus, & cruciatibus acerbissimis semper ostendit, nullam querelę vocem emittere unquam auditus. Oculorum modestiam plane singularem servavit, obtutibus in terram semper demissis, cujus admirandum exemplum, quod in quocumque alio incredibile videretur, tunc præbuit, cum (1) Sacerdotis sæcularis, ejus curæ, & custodiæ deputati, integris septem annis, numquam, nisi unica vice, & quidem fortuito, in ultima ægritudine, faciem conspexit; (2) ut etiam ipse dicere potuerit, quod olim Sanctissimus noster Legislato, alteri Presbytero die Paschatis divinitus ad eum missio, (3) *Scio, quia Pascha est, quia hodie videre te merui*. imo cum de more statim ab obitu lavaretur, virilia propriis manibus bis contextit, insigne illibatæ castitatis testimonium, vel mortuus præbens. (4) Assidua die, noctuque ejus erat oratio, in qua defixus, pluries immobilis, ac extra sensus diutius manere visus est. Miraculorum gratia decoratus, haud paucos deploratæ valetudinis, ac morti jam proximos, precibus liberavit, & ad pristinam sanitatem reduxit. Prophetiæ denique dono illustris, multa eventura prædixit, multa cordium occulta penetravit, & iis quorum salutis intererat, aperuit; inter ea sævissimam pestilentiam, quæ anno 1656. Neapolim crudeliter afflixit, tribus, antequam contingeret, annis diserte prænuñciavit, eamque in gravissimorum scelerum pœnam a Deo immittendam asseruit.
- X.** Tot itaque jejuniis maceratus, tot penitentiis confectus, in extremam ægritudinem incidit, ex qua cum sibi mortem imminere intelligeret, [eam enim aliquot diebus ante prænuñciavit] in Ecclesiã aliorum manibus innixus deferri voluit, ibique Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum devotissime suscepit; quo temporis momento Sacerdos, qui illud ei præbuit, (5) ipsius vultum seraphico radiantem splendore stupens conspexit. Ad cellam reductus, actisque de more gratiis, *D. Thomæ Aquinatis* tractatum *De Visione Dei* legendum suscepit, utpote peroptans, eam quantocius adipisci, dicens cum Apostolo, *cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Advesperascente jam die, hora vigesima secunda acri paroxifimo correptus, sensibus destitutus est, mansitque in novissimo agone duobus diebus, quibus expletis, oculos circa meridiem repente referans, & in Cælum dirigens, animam tranquillissime Deo reddidit, die 18. Novembris anno 1664. ætatis suæ 76.
- XI.** Servi sui Sanctitatem etiam post lethum pluribus miraculis Deus declaravit; præterquamquod enim ejus cadaver in feretro jacens, dum à confluyente multitudine venerationis gratia osculis afficeretur, sudore in fronte manavit, & post triginta-quatuor horas, flexile, ac mobile perseverans ex incisa vena sanguinem rubicundum emisit, flores etiam, qui idem cadaver tetigerant, vestiumque ejus particula pluribus infirmis medelam attulerunt; quorū unus demens à multo tempore ad mentem rediit: quorum aliorumque miraculorum authenticas probationes, pro *Beatificatione*, Innocentius XII. Pont. Max. rite fieri mandavit.
- XII.** Aloysii Vitam scripsit Italicè idem Angelus Perfectus ejusolim discipulus, ediditque Neapoli apud Castaldum anno 1667. in 4. ex quo fonte Nos, aliique de eo agentes sumpserunt; nempe Benedictus Laudati in Brevi Chronico Ms. S. Severini par. 2. pag. 348. Gabriel Bucelin. in Bened. Rediv. ad an. 1665. Felix Egger Idea Ord.
- Authors:**
- Psalm. 44.**
v. 12.
Silentium.
- Paupertas.**
- Patientia.**
- Modestia.**
(1)
* *D. Iosephi Truta.*
(2)
* *Quæstia è la prima volta, ch' io ti vedo in faccia, si lodato Dio.*
(3)
* *S. Greg. Pap. Dial. l. 2. c. 1.*
(4)
* *Hoc etiam de S. Philipo Nerio narratur.*
- Oratio.**
- Prophetia.**
- (5)
* *Fuit is Angelus Perfectus supralaudatus.*
- Mors.**
- Prodigia.**

Ordin. Hierarch. Benedict. Libell. 2. par. 3. Dissert. 3. num. 3. pag. 414. quorum verba, si placet, legere poteris in Analectis, & Collectaneis Lit. A. pag. 1. & seq. in eodem Aloysio.

AMBROSIUS à LUCERNA Monachus Lirinensis effectus anno 1531. die 17. Decembris, in Regeſto Monachorum noſtræ Congregationis Ms. pag. 286. in margine, dicitur obiſſe *cum opinione Sanctitatis*. Nec amplius de eo hætenus.

ANGELUS de FAGGIIS Sangrinus à Patria dictus, Caſini Monachus evaſit anno 1519. die 16. Aprilis, ubi tam doctrina, quam ſanctitate plurimum inclaruit, celeberrimis idcirco ejus temporis Viriſ, quæ verbo, quæ factò jure optimo adnumeratus. Regularis diſciplinæ ſevetorem obſervantiam non minus ſubditus à ſe ipſo, quam Prælatuſ ab aliis ſuæ curæ concreditis diligentiffime exegit, habitus proinde ab omnibus, ac veneratus, tamquam priſcæ Cœnobitarum Sanctitatis redivivum exemplar: Charitate erga pauperes, & infirmos fuit inſignis, qua impellente propriis aliquando veſtibus ad eoſdem cooperiendos ſeipſum exuere non recuſavit. Ejus autem doctrina in ſacris pangendis carminibus, diviniſque Myſteriis celebrandis maxime enituit, quæ ſingularem pietatem, ſupernique amoris, quo medullitus flagrabat, ignem undecumque ſpirant. Cum igitur ardentius in dies Deo dumtaxat adherere, ſanctiſque ſtudiis incumbere unice in votis haberet, depoſita Abbatis dignitate, in ordinem ſe rededit, & duo de viginti, quibus ſupervixit, annos, devotis precationibus, rerumque cæleſtium meditationibus, ac bonis operibus exercendis omnino impendit; quorum ſempiternam mercedem recepturus, ad Deum migravit, æquiſſimum eorum remuneratorem, anno 1593. die 17. Martii, ætatis ſuæ anno 93.

Corpus octo poſt annos abſque ulla corruptionis labe in ſepulchro repertum, peculiari tumulo incluſum, edito loco, honorificentius repoſitum fuit, creditumque ab omnibus, illud corporeæ, poſt fata, integritatis ſignum, Virginitatis, ac illibatæ innocentie privilegium fuiſſe. At de ejus capite rem ſcitu planè dignam eque, ac curioſam narrat Caſimirus Chranovius Monachus Polonus, in Vita Zachariæ Petronii à Fractis impreſſâ Neapoli apud Antonium Gramignanum an. 1674. cap. 13. pag. 124. & ſeq. „ Monachus quidam item Polonus, Ordin. S. P. Benedicti Placidus nomine, Abbas deinde Caſtro-Caſinen: in Lithuania, Caſinum [uti plurimi cujuſque ſtatus, ac conditionis homines ſolent] devotionis gratia diverterat, ubi cum de Sanctitate, ac Virtutibus laudati Zachariæ non ita antea defuncti, tot, tantaque audiviſſet, conſilium cæpit pium quidem, ſed imprudens, & periculoſæ plenum aleæ, Corpus ejuſdem Zachariæ è tumulo erutum [aut ſaltem ejus partem] clam auferendi, & ſecum in Poloniam aſportandi. Socium nactus audacis facinoris Monachum alium Caſinenſem natione Belgam, noctu Cæmeterium S. Annæ cum eo ingreditur, & revoluto lapide, in monumentum, ubi Corpus Zachariæ quieſcebat, intrepidus deſcendit. Tres ibi tumuli erecti conſpiciebantur, quorum unus *Zachariæ*, alter *Baſilii* Brixiani Abbatis olim Caſinenſis, fama Sanctitatis pariter celebris, tertius denique cæteris ſpectabilior, & magis affabre elaboratus, *Angeli Sangrini* corpora claudebat. Ea ſpecies homines exteros, & rerum Caſinenſium, ſepulchrorum præfertim, ac Urnarum, haud ſatis gnaros ſefellit, ratos Zachariæ Cadaver, utpote recens mortui nobiliori arca, ubi *Sangrini* corpus cuſtodiebatur, jacere: Itaque fracta ſuperiori tabula, caput *Angeli Sangrini*, *Zachariæ* tamen illud exiſtimantes, à reliquo corpore divellunt, linteisſque decentiſſime involutum in occulto, ac ſecreto loco reponunt, donec oblata opportunitate in Poloniam redeundi, Monachus ille caput *Angeli Sangrini*, *Zachariæ* illud ubique depređicans, in Monasterio *Caſtro-Caſinenſi*, alias in *Horodyſet à Jo: Carolo* Wierzechovice Kopec Caſtellano Trocenſi, & M. D. Lithuania-

A

I.
* E Caſtro nempe Sanguinis in Sânio, Sangro eorum lingua vocato.

II.

* Flandrum. Henricum à Gandavo poſtea à me an. ſcilicet 1682. Caſini cognitum

A thuanæ Senatore, haud ita pridem excitato, sub Altare S. Annæ honorificentissime collocavit, ubi idem ipse hujus narrationis Author Chranovius illud se vidisse anno 1674. asseverat. Cæterum omnes alii Authores, quos *Sangrinum* laudantes in nostra Bibliotheca afferimus, vere Angelum vita, & moribus eum fuisse, nomine rei conveniente, omnique virtute, ac Sanctitate redimitum deprecant.

I. **B.** ANGELLUS SINISIUS, vel SENISIUS, Patria Catanensis, inter Viros Sanctitate Illustres à Congregat. Casinensi minime recensendus videbitur, quòd multo prius, quam Siciliae Monasteria nostræ unirentur Congreg. doctrina, ac Sanctimonia floruerit: sed quia summo zelo, diligentia, & industria Sancti Martini de Scalis non modo Panormitanæ Urbis, sed totius etiam Siciliae amplissimum, ac nobilissimum Cœnobium à D. Gregorio M. fundatum, reedificavit, & in antiquum Monasticę observantię decus restituit; & quodammodo ad futuram cū nostrâ fodalitate unionem disposuit, ac præparavit; grati animi studium, & virtutum ejus meritum veniam mihi, ni fallor, à Lectoribus impetrabit, si tanti Viri breviter, ac obiter hoc loco memoriam fecerim.

II. Is Monasticum institutum amplexus est Catanæ in Cœnobio S. Nicolai de Arenis; cumque omnium virtutum exemplis præfulgeret, ab Emmanuele Spinula Archiepiscopo Montis Regalis Monasterium S. Mariæ Maniacis, (ubi postea celeberrimus ille Nicolaus de Tedeschis *Abbas Panormitanus* dictus, & *Lucerna Juris* appellatus, Abbas fuit) regulari observantiæ reddendum suscepit an. 1342. quod cum parum prospere procederet, ab eodem Archiepiscopo Monasterii S. Martini de Scalis à Saracenis olim everfi, restaurandi cura ei fuit demandata, quam quidem provinciam, Dei aspirante gratia, felicissime adimplevit; nam assumptis secum quinque aliis Monachis, eximie odore Sanctitatis aliquot nobiles Panormitanos ad Cœnobium illud attraxit, quorum copiosis ei erogatis pecuniis, aliisque omnis generis bonis attributis, in florentissimum statum Cœnobium redactum est. Accessit Pontificum, Regum, & Dynastarum munificentia, ac liberalitas, qui Diplomatis præclara privilegia continentibus, donis, ac redditibus idem Monasterium ditarunt, auxerunt, ornarunt.

III. Huic quinquennio Angelus Prioris nomine, deinde trigintaquatuor annis Abbatis titulo decoratus præfuit, tantâ quidem Sanctitatis, ac reparatæ Monasticę per Siciliam disciplinę famâ, ut quingentos propemodum Monachos D. Benedicti cucullo sua manu induerit, & ad Cœnobiticam perfectionem, propria semper actione præeunte, perduxerit. Tot igitur laborum, ac virtutum meritis cumlatus, ad eorum perennem fructum in Cælis percipiendum à Domino vocatus fuit anno 1386. die 27. Novembr. Corpus ibidem sepultum: sed anno 1585. à Casinensibus Monachis jam ab anno 1506. ibidem commorantibus, e priori tumulo erutum, & in marmoreo Sarcophago repositum, in sacrario, sub ara, ubi Sanctorum lipsana, collocatum est, hac brevissima adjecta epigraphe.

*Reverendi Viri Angeli Senisii hujus Sacri Monasterii Abbatis
hic ossa requiescunt.*

IV. Ut autem non Sanctimoniâ tantum, sed etiam scientia præsertim sacrâ admodum floruit, ita plura ingenii sui monumenta posteris reliquit, nempe

1. Expositiones Psalmorum.
2. Modum meditandi.
3. Expositionem Regulę S. Benedicti.
4. Historiam Monasterii S. Martini de Scalis.
5. Catalogum Contractuum, & bonorum ejusdem Monasterii.
6. Vocabularium Latinum pergrande. Omnia Mss. in eodem Monasterio asservata, præter Historiam, cujus aliqua tantum supersunt fragmenta teste Roccho Pyrrho l. 4. Sicil. Sacr. pag. 77. ubi etiam asserit, ob Sanctitatis famam, & ardentissimam nedum in Monachos

chos, sed in pauperes quoslibet; & peregrinos charitatem *Beati* nomen jure ad-
 eum apud omnes fuisse. Joannes verò de Grossis in Decacord. Catan. tom. 1. cord.
 2. mod. 5: pag. 128. addit, ejus Sanctitatem plurimis in Vita, & post obitum,
 miraculis fuisse à Deo comprobata. Innumeri alii Authores ejus memoriam ce-
 lebrant, quorum elenchum texit satis accurate Antoninus Mongitore in Bibliot.
 Sicula tom. 1. pag. 36. ubi fuse de eo agit.

A

1. FR. ANTONINUS natus est prope Genuam in Castello *Taglia* dicto, Parentibus
 quidem morum honestate divitibus, sed substantiis temporalibus haud satis fultis,
 qui Filium in Baptismate Joannem appellaverunt, eumque in Dei timore, &
 Christianis virtutibus educandum sedulo curarunt. Cum adolevisset, excolen-
 dis hortis, ut Genitorum ferebat conditio, operam dedit: quadam deinde occa-
 sione in Siciliam delatus, eandem artem variis in hortis non tantum industriae,
 ac singularis experientiae, sed multo etiam magis pietatis, & integritatis admo-
 dum raræ fama exercere perrexit. Erat tunc Cœnobii Montis-Regalis Æcono-
 mus Michael ex Civitate ejusdem nominis Montis-Regalis [nam illud ab eodem
 Monasterio, & Ecclesia Civitas illa desumpsit, ut plures alię Urbes ab aliis Mo-
 nasteriis] Vir multæ probitatis, & vitæ religiosissimæ. Is habita notitia nostri
 Joannis, allectusque ejus tum artis, tum innocentie præstantia, inter Cœnobii
 operarios eum admisit; claustrique hortum illi colendum tradidit. Fuit id Joanni
 gratissimum, cum labor ille hortensis ob propinquæ Ecclesiæ Sanctitatem, &
 Ascetarum exempla, acriores ad perfectionis stadium decurrendum stimulos ad-
 deret. Quamobrem vehementi Deo proximius inserviendi cupidine incensus, in
Conversorum Fratrum numerum. [nos *Commisso*s dicimus] referri enixe postu-
 lavit. Abbas, cæterique Cœnobii Patres, quibus optime perspecta erat Joannis
 virtus minime fucata, & sincera in Deum fides, eum libentissime voti compotem
 effecerunt. Fratrisque Antonini nomine deinceps vocari Abbas voluit, qui quòd
 diutius in Urbe Regia Panormo commoratus esset, Fr. Antoninus à Panormo co-
 gnominatus est. Duos supraviginti annos in Religione vixit, majora in dies san-
 ctitatis specimina edens. Summa in primis veneratione Deiparam prosequabatur,
 ad cujus Statuam in Ecclesiæ altari collocatam die noctuque orare consuevit; ejus-
 que exemplo, atque opera imago illa admodum celebris, & præcipuo honore ab
 omnibus habita, usque ad hodiernum diem evasit; adeo ut ipse Siciliæ Pro-Rex,
 Marchio de Villena, aliique optimates pretiosis eam vestibus, ac argenteis lampa-
 dibus circum ipsam collucentibus, Fr. Antonini hortatu decoraverint; Ejus lau-
 tem post datum Religioni nostræ nomen perpetuus Vitæ hic tenor fuit. Ad Vespe-
 ras Ecclesiam ingressus, Lampades ante Altare Beatissimę Virginis Tutelarissimę
 abstergebat, accendebatque, tum in terram sese abiicens, orationem ad usque
 finem diei ante idem Altare protrahebat: paucis deinde horis parçæ Corporis re-
 fectioni concessis, ac tenui quieti, quam humi ante aram D. Placidi, quem etiam
 impense venerabatur, capiebat, impigre ad matutinas preces evigilans, Ecclesiæ
 Altaria orans circuibat, usque dum mane jam illucescente, Sacerdoti primum
 Sacrum celebranti reverenter ministraret; mox horti laborem ad prandium usque
 repetebat. Sed quale prandium ei, qui perpetuum jejunium servabat? ei, qui
 aspero cilicio lumbos præcingens, creberrimis flagellationibus humeros cruen-
 tans, gravique lapide identidem pectus tundens, corpus suum omni ex parte
 cruciabat?

Patria, & Parentes.

In Religio- nem ingrel- lus.

Munster
 v. p. stmin-
 ster: s. Gall.
 &c.

In Deipa- ram devo- tio, & cul- tus.

Vigliena

Vitæ Me- thodus.

IV. Habebat quidem tum à natura, tum ab ingenio Columbæ simplicitatem, Ser-
 pentis tamen prudentiæ semper adjunctam, præsertim cum de rebus cælestibus ei
 sermo erat; Ostendens bonorum temporalium jacturam, lucrum esse arbitran-
 dam, dummodo æterna animæ salus, quæ rerum omnium caput est, in tuto po-

A sita sit. Erat Monastici silentii observantissimus, verumtamen cum opus esset, loquebatur admodum sapienter de testimoniis Domini in conspectu gentium, & monita salutis dabat illis, quibus adhortationibus Christianę Charitatis melle conditis, præcipuè, cum afflictos consolabatur, plurimum proficiebat, quod ab omnibus cujusque conditionis hominibus Vir justus, & Sanctus haberetur.

V. Cum itaque adeo acceptus esset Deo, necesse fuit, ut ad patientiæ meritum, quemadmodum olim S. Tobiam, imo sicut omnes omnino Sanctos tentatio, ceu aurum in fornace probaret illum; nam in primis ejus Abbas veritus, ne honor, & veneratio illi ab omnibus præstita, in spiritus elationem, vanamque gloriam cor ejus abriperet, durius, asperiusque cum ipso agere cepit, severis increpationibus, gravibusque penitentiis eum frequenter exercens, quod ille non solum, æquanimiter, sed hilari quoque animo, & cum gaudio tolerabat, quapropter Abbas perspecta ejus solide virtutis, ac sinceræ bonitatis veritate, nimix severitatis se ipsum arguit, mortique proximus confessus est se à Deo manifeste punitum, quod virum Dei plus æquo, ac indiscrete vexasset. His accedebant Dæmonū frequentes insultus, & multiplices terrores, quos tamen Antoninus fide armatus, fortiter superans, terror ipse Dæmonum evasit, eorumque plures ab obsessis corporibus ejecit.

VI. Sed quasi parva ad ejus probationem essent hæc omnia, diutini morbi molestia ejus patientiam coronavit. Acri paralyti conflictatus, dum artus corporis solverentur, ejus spiritus veluti suavissimus olor, Dei laudes dulcius decantabat. Jamque Vitę fini appropinquans, quem multo ante clare prædixerat, à Bñna Virgine, cui tam fideliter famulatus fuerat, mirabili visione, ut creditum est, confortari meruit. nam summa cordis lætitia exultans, ac si diceret, *Letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, non solum oculis, sed ipso etiam corpore ad cælum erectus, quasi ipso etiam corpore eò progredi vellet, animam illuc transmisit, anno Domini 1620. nonis Martii, die Sabathi, ut semper optaverat, utpote Sanctissimæ Deiparæ sacra, hora vespertina, quâ nempe Lampades ante altare Dominae suæ tanta diligentia accendere consueverat.

VII. Vixit Fr. Antoninus fere ad annum centesimum prospera semper usus valetudine, si extremum tempus excipias, quo paralyti laboravit. sicut autem vivens multis à Deo prodigiis, visionibus, ac revelationibus ad animarum salutem decoratus fuit, ita etiam post obitum pluribus miraculis inclaruit; nam variis morbis infirmi, alique ulceribus vel insanabilibus deformati, tum ejus corporis tactu, dum in feretro jaceret, tum vestium ejus particulis, egris membris adnotis, desperatam salutem illico recuperarunt. Ex iis miraculis D. Victorinus à Messana Montis-Regalis per id temporis Prior, vigintiquatuor describenda, & authenticis probationibus validanda curavit eodem an. 1620. quo Fr. Antoninus ad Cælos migravit, quæ manu exarata extant etiam num Romę apud Bibliothecam Romanæ Sapientiæ in tom. 3. Miscellan. Sacr. Constantini Cajetani pag. 48. n. 26. unde ego ipse eadem ad verbum exscripsi, & in Collectanea, & Analeccta ad Vitas Virorum Sanctitate Illustrium è Congreg. Casinensi conjeci, ubi, si libet, eadem legere poteris. Lit. A. pag. 3. & seqq. Sed anno 1733. eadem miracula Venetiis misi ad eruditiss. P. D. Angelum Calogiera Camald. Monachum, in ejus Opusculis Philologicis imprimenda. Ceterum Fr. Antonini effigiem laudatus Marchio de Villena Siciliae Pro Rex ad vivum efformandam, & Catholico Hispaniarum Regi Philippo III. offerendam curavit, qui illam libentissime accepit, & piissime veneratus est.

VIII. Ejus gesta narrantur à Gabriele Bucelino in Menologio Benedictino ad diem 7. Martii pag. 177. & seqq. ubi Fr. Antonium [pro Antonino] *Virum per omnia*

via priscae saeculi miraculum nostrae tam praeposterae aetatis appellat, testaturque se ea hausisse ex vita Ms. & attestationibus Montis-Regalis, Prioris, & Testium; Mauro Marchesio &c. Eadem gesta ex ipso Bucelino in Gallicum Sermonem transtulit *Jacobina Bovetta de Blemur* Monialis Ord. Nostri, & anno *Benedictino* à se composito inservit, qui nuper in Italicam linguam conversus impressus est Venetiis anno 1727. tom. 2. pag. 48. & seq. Meminit ejus etiam Felix Egger Monachus Petrusianus in *Idea Ordin. Hierarch. Benedict. impressa Campiduni* anno 1717. Libello 2. par. 3. dissert. 3. pag. 429. Antonium ipse quoque ex Bucellino eum nominans. Sic, Anno 1620. in Beatorum Patriam assumptus est P. Antonius de Panhormo Cathedralis Monasterii Montis-Regalis in Italia Conversus: cui jejunium fuit perpetuum, & quotidianum: accessit asperum cilicium, flagellatio crebra, quae pavimentum innocenti balnearet sanguine. Eum magni Principes in rebus maximis pro consilio exorarunt; ipseque Siciliae Pro-Rex ad genua, sensu solatio pleno audire gestiebat. Miraculis conitabatur, & vivus, & mortuus. De eo etiam in Sicilia Sac. Rocchi Pyrrhi 2. edition. cum Additionibus, seu supplement. Viti de Amico tom. 2. pag.

A

* *Jacobina*

I. ARCHANGELUS à Neapoli, Deo se intimius devovit apud S. Severinum an. 1547. die 28. Mensis Octobr. Floruit illibatae Vitae innocentia, Monasticae humilitatis assiduis exemplis, & perennis abstinentiae insigni virtute. Fuit ob morum similitudinem Ven. Servo Dei Jacobo Grassio arcta necessitudine, ac familiaritate conjunctus, quem cum ipse jam senio confectus, & praefamoris dolore ambulare minime valens, morti proximum accepisset, ad eum misit rogans, sibi permitteret, utcumque poterat, ad Amicum accedere, & extremum ei vale proprio ore praebere: Vetuit id Grassius, utpote supervacaneum, nam intra eandem hebdomadam ambo simul futuri erant in caelesti Patria videntes Deum. Res ita profusus, ut ille praedixerat, accidit. Grassius siquidem eadem die, quae fuit 19. Octobris & feria secunda ad superos evolavit; Archangelus autem die Sabbati, ejusdem Mensis 23. absque ulla praevia aegritudine, si longevam senectutem excipias, animam Deo reddidit anno 1620. Sanctitatis fama relicta. Narrat haec Benedictus Laudati in Brevi Chronico S. Severini Ms. par. 2.

AUGUSTINUS à MARATEA alter est ex D. Severini alumnis, morum Sanctitate, & virtutum exemplo conspicuis, quos in hoc Catalogo praeter alios supra recensito ferie haud interrupta referimus. Hic Monasticis votis sese obstrinxit an. 1561. & illibatae vitae candore Deo, & hominibus valde commendabilem se praebuit. Decani munus ea gravitate, ac vigilantia gessit, ut nemo cujuslibet gradus nisi modestiam, ac pietatem, saltem specie tenus, praesferens, ad ipsum auderet accedere. Solitudinis amantissimus, tempus omne sacris lectionibus, & divinarum rerum meditationibus impendebat, paucas horas tenui somno, ac arctae corporis refectioni tribuens. Silentio plurimum deditus erat; quo circa reliquis Coenobii Patribus opportunitates eum alloquendi studiose quaerendae erant, cum experimento scirent, ex aureo ejus ore nullum unquam verbum effluere, quod ad Dei, & caelestis Patriae amorem audientium animos non accenderet; denique optima insignis probitatis fama apud omnes relicta, ad eandem Patriam migravit circa annum 1608. de quo Benedictus Laudati in Brev. Chron. S. Severini par. 2. pag. 256.

AUGUSTINUS à PLATEA Siculus, unus fuit ex primis, qui Monasticum induerunt cucullum in Coenobio Catanensi S. Nicolai de Arenis sub Congregatione Casinensi; nam Sicula Congregatio anno 1506. Casinensi unita fuit, Augustinus autem regularem professionem emisit anno 1508. Fuerat quidem in saeculo Legum-

A

Doctor, at in Monasterio omnium fuit virtutum exemplar; inter quas abstinentia à cibus, regularis disciplinæ custodia, rerumque cælestium assidua contemplatio primas sibi vindicabant. E Sicilia digrediens, in Dalmatiam se contulit, & in Cœnobio S. Mariæ *De la Croma* aliquandiu subsistit; sed cum Sanctitatis, ac Miraculorum, quæ identidem patrabat splendor, populorum oculos perfringeret, eique venerationem maximam conciliaret, ab hominum laudibus prudenter sibi metuens, regione illa relicta, in Casinense Archisterium commigravit, ubi postquam aliquot annis sanctissime vixisset, feliciter in Domino obdormivit circa annum 1519. Hujus Dei famuli extabat celebris memoria in parva cellula prælaudato Cœnobio Catanensi propinqua, in quam ille interdum solebat sese recipere, ut commodius, & tranquillius divinis contemplationibus vacare posset; de qua cella ejus Cœnobii Chronographus hujuscemodi prodigium narrat, quod cum aliquando Mons Æthna ignes suos devorantes evomisset, jamque illi torrentis instar Monasterii mœnibus undique appropinquarent, ubi Viri Dei cellam obviam habuerunt, minime ausi sunt eam absumere, imo ne quidem attingere, sed veluti venerabundi illæsam relinquentes, cursum aliorum verterunt, quamvis in novo incendio, quod anno 1669. contigit, obruta penitus fuerit maxima ardentium arenarum vi, quam effervescens Montis sinus, tanto cum circumstantium locorum damno eructavit.

* Bartholomæus Taberna.

I. AUGUSTINUS VENERIUS Patria Neapolitanus professus est nostrum institutum in Monasterio SS. Trinitatis Cavensis anno 1595. die 17. Septembr. effulsitque non minus doctrina, quam religiosi virtutibus; nam in primis patientia enituit singulari, plures, gravesque persecutiones, ac tribulationes innocentissime tolerans, adeptus proinde beatitudinem illam à nostro Servatore promissam propter justitiam persecutionem patientibus. Abstinentia quoque ejus fuit admirabilis, jejunium enim integros annos nigro pane, puraque lymphâ sustinuit; solitudine vero, & recessu ab hominum consortio, veteres Ægypti Anachoretas imitabatur. Ad hæc Monasterii Cavensis utilitatibus tam spiritualibus, quam temporalibus promovendis summo opere infudavit. Ipse enim maximo labore Cavense Tabularium celeberrimum ordinavit, disposuit, ac usu facillimum reddidit, ejusque monumentorum exoticos, exoletosque characteres, Gothicos, Arabicos, sive Saracenicos, Græcos, Turcicos, Langobardicos, Normannicos diligentissime est interpretatus, quod tamen non sine superni luminis auxilio eum peregrisse creditum est. Sanctè obiit, ut & Sanctè vixerat, nam in omnibus munitis, quæ in Monasterio gessit, optimi Cœnobitæ exempla continuo edidit. Ex relatione Marini Albritii Cavensis Archivi Præfecti mihi transmisâ. & ex Rêgêsto Seraphini Tanfi pag. 191. ubi in margine. „*Abbas Titularis: Vir magnæ Sanctitatis.*

I. AURELIA FRANCHI Brixia nata an. 1645. Kalendis Maji, Primogenita Lelii Franci, & Juliæ Fantonæ Brixienfium Civium, illibatæ puritatis, totâ vitâ servandæ, illud primum indicium dedit, quod cum adhuc in cunabulis vagiret infans, à quolibet mare vel leviter tangi nullatenus patiebatur, sed quomodo poterat sese contorquens, & plorans merorem ostendebat, cum secus faceret quoties à faminis contrectaretur, vel ulnis, aut osculis ab illis exciperetur; adolescens autem si curiosius ab aliquo Juvene conspici se videret, statim rubore suffusa inde aufugiebat, & in abditissimis locis sese occultabat, Illud Jobi non tantum voto, sed actu etiam usurpans, *Fuissem quasi non essem, ne oculus me videret.* Jam grandiuscula, undecim nimirum annorum, quibusdam egregiis mulieribus [Magis cognomine] in erudiendis puellis tum in illius sexus artibus, tum in Christiana pietate laudatissimis, educanda traditur, & post duodeviginti mensium spatium

-Job. 10. 18.

A

In paternam domum revocatur. Ibi vero duobus, quibus adhuc in ea mansit annis, harum potissimum virtutum stadium quotidie decurrebat. Patientiæ, humilitatis, abstinentiæ, mansuetudinis, claritatis, obedientiæ, sed præcipue modestiæ, ac solitudinis, & à quibusvis pompis, spectaculis, theatris, choreis, aliisque id genus oblectamentis perpetuæ fugæ, quos diaboli laqueos, ut penitus declinaret, sapius Patrem rogavit, ut inter Moniales Deo se penitus devovendi sibi facultas esset.

II. Voti compos effecta an. 1651. quarto Idus Maji Brixie in Monasterio SS. Cosme, & Damiani Ord. & Congr. nostræ Virginum sponso nupsit, eique 17. annis, quoad vixit, immaculatum thalamum custodivit, virtutum gemmis ornatum, sacrarum precum, & celestium meditationum floribus undique conspersum. Per id temporis Cornelius Codaninus Venetus, Vir morum Sanctimoniâ celebris, & in dirigendis ad Deum spiritibus insignis, Abbas SS. Faustinae, & Jovitæ, cui Cœnobium SS. Cosmæ, & Damiani subest, Aureliæ animam inter cæteras ad perfectionis culmen, Dei opitulante gratiâ, perducendam suscepit, & quinque annorum spatio in eam curam diligenter incubuit. Sub tanto Magistro Aurelia ita profecit, ut cor suum ab omnibus creatis rebus omnino abducens, illud ad Dei Amorem penitus converterit, in eoque constantissime defixerit, quamobrem dulcissimus Jesus, ut eam velocius post se in odorem unguentorum suorum traheret, sibi que arctius uniret, ei sub specie pulcherrimi infantuli pluries apparuit, præsertim quadam Nativitatis suæ nocte, dum Sacerdos in Missa Sacratissimam Hostiam de more elevaret, gratias, & blanditias undecumque spirans, quod laudatus Cornelius in Epistola, quam de Aureliæ sanctis moribus scripsit, clare testatur.

* De eorum
nostra Bibl.
par. 1. pag.
139. & 197

III. Ex hoc divini Amoris fonte reliquas ejus virtutes metiri licet. Humilitati jure, ac merito primas dabat, qua se omnium mortalium maximam peccatricem existimans, levissimas culpas, & minimos quosque defectus à se patrator adeo exhorrebat, tantoque odio, ac dolore prosequabatur, ut vehementer cuperet, vel infirmitate aliqua detineri, vel mature ex hac vita discedere, & in purgatorium ignem descendere, ut hac ratione de non offendendo amplius Deo secura esse posset, Corpus flagellis, jejuniis, ciliciis, cingulis ferreis, velut hostiæ multabatur, & cilicium quidem erat asperrimum, ex equinis crinibus opere nodoso in modum indusii contextum, quo ejus caro haud uno in loco disrumpebatur, ut mirum esset puellam delicatulam, ac tenerrimam eum cruciatum tandiu perferre potuisse, nisi vires desuper ei fuissent collatæ, at cum ad extremam usque maciem se redigisset, jussu Confessarii, anno ante obitum ab hujusmodi pœnitentiis temperare fuit coacta.

IV. Silentii, ac solitudinis studiosissima, à cratibus, & colloquutorio longe aberat, ad eas nisi magna necessitate urgente, nunquam accedens, & tunc quidem brevissimo temporis spatio ibidem herens, quam confabulandi fugam non solum erga Laicos quoslibet, non solum erga propinquos, sed erga ipsum quoque Confessarium omnino custodiens, cum eo de rebus tantum spiritualibus, in loco tamen ad sacramentales Confessiones deputato, in ipsaque Confessione sermonem habebat, probe sciens amantem, ac timentem Deum animam, quæ ejus amore, & gratia frui desiderat, ab omnibus creaturis, quam longissime remotam esse oportere, ipso dicente, *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*. Hinc orandi assiduum studium, ac voluptas, hinc clauso ostio jure cum Deo colloquium, ex quo, ut olim Moyse, splendidam faciem, & Angelicum vultum referebat. quod adhuc magis quoties SS. Christi Corpus fumeret, observabatur, cum ad illud digne, quoad fieri potest, recipiendum dies tres antecedentes piis exer-

A

exercitationibus sese disponderet, tresque subsequentes pro gratiarum actione semper infumeret. Beatissimam quoque Virginem Deiparam, sicut etiam Angelum tutelarem magna religione tota vita coluit, quam utpote Matrem dulcissimam, in quacunque necessitate, implorata ejus ope, Afflictorum Consolatricem semper experta est.

V. Nec caelestibus donis caruit; Praescientiae spiritu decoratam haec potissimum probant; Monialis leviter infirmæ, quæ sæpius de eadem egritudine convaluerat, imminentem mortem enunciavit, atque ita evenit. Alterius, quæ optima valetudine fruebatur, lethalem infirmitatem prædixit. De alterius mox decessuræ eternâ salute Moniales certiores reddidit, quam etiam paulo post defunctam, pulcherrimâ facie, valde resplendentem vidit: de suis etiam languoribus, ac morte, multa prænunciavit. Sed longe majus, ac pretiosius donum fuit communicatio Passionum Christi, ejusque acerbiorum cruciatuum participatio. Nam cum aliquando Spineæ Coronæ atrocis: vulnera contemplaretur, Deum rogavit, ut ejusdem doloris vim sibi quoque tolerandam concederet: nec mora: Spineâ Coronâ se redimitam sensit, simulque acutas adeo punctiones, ut nisi quam primum cessassent, vitam sibi adempturas non dubitaret.

VI. At Amantis. Dominus, ut hanc suam Sponsam adhuc perfectius conformem, redderet imaginis filii sui, eam an. 1671. mense Julio, gravissima infirmitate visitavit, qua Aureliam velut aurum in fornace tribulationis annis duobus, mensibus quinque ad caelestes thesauros septuplum probavit. Tunc vero ejus patientia, ac heroica virtus clarius eluxit, diutinæ siquidem ægritudinis molestias non solum æquamiter, sed hilariter etiam sustinuit, Apostolicam doctrinam probe exequens, *Omne gaudium &c. Gaudemus in tribulationibus. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis &c. cum infirmior tum potens sum: itaque infirmata est, tu verò perfecisti eam.* Anno demum 1673. Mense Octobr. ingravescente morbo SS: Ecclesiæ Sacramentis ad æternitatis iter muniri voluit, post quæ dies adhuc quadraginta supervixit, summæ pietatis, Christianæ constantiæ, acutissimæ ad Deum, ejusque divinam voluntatem conformationis, ob quam dissolvi cupiebat, & esse cum Christo, jugiter exempla præbens; die tandem 16. Nov. dum in ejus cella omnium SS. Litaniam recitarentur, ad quorum singula nomina clare, & intrepide respondebat, *Ora pro me*, in illis verbis *Regina Virginum*, deficiente jam die, animam in caelestis Sponsi manus dulcissimè tradidit, ætatis suæ an. 38. Corpus longo licet morbo macie, ac squallore confectum, admodum pulchrū, faciesque plena gratiarum apparuit, intuentium omnium admiratione, & gaudio, quod jussu Rm̄i Abbatis SS: Faustini, & Jovitæ D. Claudii à Venetiis, accedentibus omnium Monialium suffragiis, peculiari loco in Ecclesia ante altare S. Titiani extra ferreos cancellos collocatum est.

Ex Vita à D. Cassiodoro Bertolini Mantuano ejus Confessario exarata, quæ in Archivo præfati Monasterii Ms. asservatur, qui tamen fatetur valde pauca de ejus virtutibus, donis, ac prærogativis à Deo illi concessis enarrari, cum ipsa humilitate sua, omnia hæc pro viribus occultaret.

De eo in
aliquentis no-
stra Biblios.

I. **B**ENEDICTUS à FLORENTIA S. Mariæ alumnus factus an-
1452. die 8. Septemb. in Regeſto Seraphini Tanſi pag. 101.
dicitur Abbas Florentiæ, & Viſitator, *Vir magnæ Sancti-
tatis, & Scientiæ*, quam hauſit à D. Antonino Archiepiſco-
po Florentino, ſub cujus fuerat diſciplina.,,

II. Hic ille eſt Benedictus, quem Placidus Puccinellus in
Chron. Abbat. Florent. pag. 61. & ſeq. fuiſſe tradit ex fami-
Amerighi, & Abbatem Cœnobii Florentini anno 1581. quo
eodem anno oſſa Hugonis Etruriæ Comitis, ſolemni pompa ex veteri Urna Por-
phiretica, in novum Sarcophagum tranſtulit. Eum Innocentius VIII, Pont. Max.
an. 1385. una cum Generali Præſide Sacri Eremi Camalduleniſis, [quem Majo-
rem vocant] reformatorem Monachorum item Camaldulenſium S. Mariæ de
Angelis in Urbe Florentia conſtituit. denique anno 1487. dum noſtra Cœnobio
Regni Neapolitani viſitaret, ex itinerum incommodis lethali contracto morbo
animam Deo reddidit Neapoli in Monafterio S. Severini die 18. Octobr.

Vide noſtrum Catalogum Monachorum Congreg. Caſinen. qui alias Monachorum
Congreg. reformarunt pag. 3.

I. BERNARDUS ex prænobili *MUTORUM* familiâ Romæ ortus, fortitus eſt à
Deo animam bonam, ut veriſſimè cum S. Job dicere potuerit, *ab Infantia mea
crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum*. Idcirco ſtatim
atque adolevit, Ducaliſ Domus ſplendorem, & Principatus dignitatem, quæ ad
eum jure Primogeniti pertinebat, amore Crucis alacriter contemnens, titulof-
que omnes D. Benedicti Cucullo obtegens, humilem Monachorum vitam in Mo-
naſterio S. Pauli extra Urbem elegit anno 1610. die 22. Novembris.

II. Ibi omniũ virtutũ jugi exercitatione perfecti Cœnobitę ſe ipſum exemplar præbuit;
Virginis in primis Deiparę, quã impenſiſſime colebat, ſingulari veneratione, & amo-
re præditus, ejus patrociniũ, & gratiam uti pientiffimus filius ſemper efflagitans, illã
viciffim miſericordię matrẽ Bernardo ſe perpetuò exhibente, quidquid ab eo roga-
retur, illico largiri conſuetã. Humilitati addictiffimus honores quoſque, cum
intra, tum extra Congregationem, tantum abeſt, ut umquam ambiert, ut con-
ſtantiffime etiam quoad licuit recuſaverit, illudque ſemper animo reputans, *non
veni miniſtrari, ſed miniſtrare, iterumque, non veni facere voluntatem meam, ſed
ejus qui miſit me*, laicis quoque Fratribus, [Commiſſos appellamus] parere non
detrectavit; qua tamen de re ut nimia, quandoque admonebatur, ne Sacerdotii
dignitatem uſque adeo demitteret, Sed Humilitatis virtutem defixam quidem in
corde ſervaret, exterius item, ſed tamen prudenter, & citra Monaflicæ gravita-
tis jacturam eam patefaceret. Paupertatis ſtudioſiffimus, ejus anguſtias, & in-
commoda ſuper aurum, & topazion amplectabatur; nihil propterea in ejus cella
ſuperfluum, imo vix neceſſarium, nihil in veſtibus, reliquaque ſuppellectili præ-
tioſum vidiffes, ſed cartaceas tantum aliquot Sanctorum Icones, quæ pietatem
acquerent, non vanitatem redolerent.

III. Corpus, licet caſtiſſimum, & ſpiritui non admodum refractarium, omni af-
peritatum genere in ſervitutem redigens, exquisite cruciabat, poſtquam enim
illud congeminatis jejuniiſ, duriffimo, latoque cilicio, quod ſcapulas æque, ac
pectus contegebat, crebrisque, ac ſanguineis flagellationibus interdium ad maciem
uſque afflixiſſet, ſupra nudos deinde aſſeres nocturnam quietem, eamque parcã
admodum, carpere jubebat. Mundum, quem veluti turbulentam, & caligi-
noſam Ægyptum maturè fugerat, ita ſemper exhorruit, ut ad illum vel curſim

B

revifendum, vix unquam, nec nisi coactus, adduci potuerit, cum fcilicet Principum, aut Purpuratorum aliquis [omnes autem ejus Sanctitatem maxime fufpiciebant, ac venerabantur] Viri Dei colloquium enixis precibus expeteret; imo Parentes ipfos, ni pietatis aliquod officium fecus fuaderet, cernere, & alloqui haud quaquam fuflinebat, aureas hafce, & plane cæleftes fubinde emittens voces, *fe minimo etiam temporis momento indigere, ut æternitatem lucraretur;* quam utique fententiam ebore, ac cedro dignam utinam fideles omnes, præcipue vero qui fe fe Deo per regularia vota arctius manciparunt, identidem mente revolvent, ut de pretiofiffimo temporis thefauro ne drachmam quidem prodigerent. Nec fæcularium tantum confortia fedulo vitabat Bernardus, fed Monachorum etiam confuetudine parce admodum utebatur, ut qui divinarum rerum contemplationi, Sanctorum Patrum, aliorumque optimæ notæ Librorum, haud intermiſſæ lectioni, quidquid ab Angelica Pfalmodia, & Sacroſancto Miſſæ Sacrificio supererat temporis, libentiſſime dabat. Teſtantur ſacra Bernardi ſtudia plures Codices *ad uſum D. Bernardi Romani*, inſcripti, qui hætenus in D. Pauli Bibliotheca extant.

IV. His, aliifque virtutibus adeo inſtructus, Tyronum Magiſter eligitur: optime enim perſpectum habebat Abbas, ſub tanto Præceptore plurimum in Monafici inſtituti obſervantia, ac virtutum omnium paleſtra diſcipulos profecturos. Deſungebatur hac provincia anno 1631. quo elapſo ad Prioris gradum invitus licet, ac reluctant evectus fuit: Quamobrem timens Vir Dei ne hujusmodi honor ad ſupremas Congregationis Dignitates, quod maxime nolebat, viam ſibi aperiret, illam ſtatim obſtruendam curavit, Prioratu ſeſe abdicans, & Abbatis dumtaxat titulum, & hunc ipſum obedientia adactus, non vero regimen, vel authoritatē admittens. Cum itaque flagrantiori in dies ſolitudinis amore, & Deo arctius adhærendi ſtudio cor ejus æſtuaret, facultatem quotannis poſtulabat ſecedendi extra Urbem in prædium quoddam Farfenſis Abbatix, quod olim gentilium ſuorum poſſeſſio fuerat, cui vocabulum *Vallebona*, eique proximam Anachoreſim, ubi aliquot menſes clauſus eremiticam vitam ducebat, ab omni proſus hominum confortio alienam, graviores penitentias, majora jejunia, prolixiores orationes, ut ſelecti Dei famuli ſolent, frequentans, nec tamen ita, ut non etiam aliquando zelo animarum accenſus, ex eo reſeſſu prodiret, quò circumpoſitam multitudinem in fidei articulis clarius inſtrueret, & ad vitiorum fugam, bonorum operum exercitationem inflammaret, optimum D. P. Benedicti imitatore ſe oftendens, qui M. Gregorio teſte, quamvis dilectæ ſolitudinis ſtudioſiſſime ſectaretur arcana, *Et ſolus in ſuperſni inſpectoris oculis habitaret ſecum*, Chriſti tamen charitate urgente ex latebris illis identidem egreſſus, *commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat*; qua ratione Mariæ, & Marthæ ſororū egregia munia licet ab invicem diſſita, contemplationem ſcilicet, & actionem, pulchro nexu copulabat, Salvatoris noſtri exemplo, *qui deſcendens de monte*, ubi ſolus oraverat, *ſtetit in loco campeſtri*, ut confluentium turbarum corpora à morbis ſanaret, & earum mentes myſteriis cæleftibus erudiret.

V. Hoc ipſum cum aliquando faceret, obviam forte habuit Monachum alium ejusdem Coenobii S. Pauli alumnum illac iter agentem Patria item Romanum Jovitam nomine familia de Rubeis, qui per id temporis in Monafterio Farfenſi commorabatur. Lætus admodum talis Hoſpitis occurſu Bernardus, poſt mutuam ſalutationem in oſculo ſancto, cum ad prandium invitavit. Sed quale prandium? Braſſicis aliquot, ac paucis tantum aleculis menſa inſtructa apparuit; ſed quod magis adhuc mireris; Hodie, ſubdidit Bernardus, in *Jovita mei gratiam*, *opipare mihi epulandum eſt*; nam ideo *Brasſicas hafce meis ipſe manibus coxi*; ex quo nimirum

• *Dial. lib. 2.
c. p. 8.*

• *Lucæ 6. c.*

• *De eo in
noſtra Bibl.
par. 2. L. 1.
pag. 48.*

quæ arguas licet vitæ ejus austeritatem, & consuetam cibi parsimoniam, quamvis dum in Monasterio S. Pauli degeret, communi aliorum mensa, communibusque obsoniis indiscriminatim uteretur, ne singularem præ aliis abstinentiam ostentaret. *Gaudebat igitur cum gaudentibus, flebat cum flentibus.*

VI. Ceterum dum in dilecta hac *Vallisbonæ* solitudine moraretur, complures Dæmones ab hominum corporibus exulare jussit. Hoc enim peculiari dono, energumenos liberandi, à Deo insignitus fuit; quamobrem cum innumeri quotidie homines tam arreptitii, quam aliis infirmitatibus afflicti ad Bernardum confluerent, corporis, animæque sanitatem impetraturi, jucunda res quidem erat, videre desertum illud non amplius sane desertum, sed locum frequentissimum evasisse, ex quo Bernardus Spiritualium medicamentorum veluti officinam ibidem populis aperuerat. Porrò illi Virum Dei, uti Sanctum venerabatur, variisque eduliorum munusculis ad eum delatis, animi obsequium, & beneficiorum memoriam testabantur, quo pacto idem fere Bernardo contingebat, quod olim Beatissimo Parenti nostro Benedicto in Sublacensi specu latitanti evenit, qui, ut M. Gregorius refert, Spirituales cibos agresti populo subministrans, ab eodem corporales escas sponte delatas recipiebat. Accipiebat illas etiam Bernardus multis cum gratiarum actionibus, sed illico omnia pauperibus distribuebat, nihil penitus sibi reservans; interrogatusque aliquando, cur nam id faceret, neque aliquid pro se retineret, statim respondit, *Deus providet, Deus providet.*

VII. Ut autem exhibita alimenta sibi ipse denegans, aliis libenter suppeditabat, ita & inanis gloriæ labem à se procul averruncare diligentissime satagebat; nam cum Romæ in Ecclesia D. Callisti Cacodæmones à Fidelium corporibus expelleret, jubebat sanatos votivas tabellas ad altare ejusdem S. Callisti deferre, ut de immundis spiritibus victoria Sancti illius meritis, non vero suo nomini ascriberetur, quæ tabellæ parietibus appensa nostra adhuc atate circum idem altare conspiciebantur. Eos autem Bernardus fidei, & humilitatis armis munitus potissimum superabat; prius enim quam exorcismos inciperet, procidens in faciem suam super terram, ibique diutius permanens, prolixius orabat, quod superbus spiritus minime sustinens, frendens, ac ejulans, nec ulteriora expectans, ut plurimum aufugiebat; maximi tamen, frequentes isti de malis Geniis triumpho Bernardo stabant; nam illi in rabiem acti, furorem suum, Deo permittente, in ipsum, qui eos ab injusta possessione deturbarat, convertentes, nocturnis primum terroribus, mox verberibus diutissimis, ad sanguinem usque, Bernardum excipiebant, quæ nihilominus Dei famulus patienter, ac fortiter perferens, sibi quidem perennem gloriæ coronam, desertoribus autem Angelis graviora apud Inferos supplicia comparabat.

VIII. At cum in Monasterio post Prioratus abdicationem privatus degeret, ita sibi, sacrisque studiis, ac piis operibus vacabat, ut nullis, neque Cænobii, neque Congregationis negotiis sese ingereret, aut immisceret, sed earum rerum curam Prælati, aut Ministris, quorum intererat, omnino relinqueret. Si quando vero præjudicium aliquod, aut grave damnum eidem Monasterio parari, aut imminere animadverteret, tunc omni cunctatione postposita, nullaque personæ cujuslibet habita ratione, libere pro Domo Dei loquebatur, ejusque verba magnam apud omnes efficaciam obtinebant.

XI. Anno tandem 1651. corporis viribus, ob assiduas multiplicisque ei illatas macerationes, penitus destitutus, ad æterna in Cælis laborum præmia percipienda à Deo vocatus est Romæ in ædibus D. Callisti, & in secunda Cellula parvi dormitorii ad lavam contra meridionalem partem Basilicæ S. Mar-

B

In Dæmones imperium.

Lib. 2. Dial
C. 2.

Humilitas

Hæc modo
ædes, ob ve-
tustatem rui-
nam minan-
tes, penitus

B
*divitæ sunt,
 & novæ à
 fūdamentis
 Splendidius,
 ac magnifi-
 centius ere-
 ctæ anno
 1733. &
 1734.*

riæ Transyberim; Corpus ad Sanctum Paulum delatum, & plumbeo loculo inclusum, ejusque nomine foris sculpto, in cōmuni Monachorum Sepulchro ante aram D.P. Benedicti humatum fuit, cilicium vero ex animalium pilis contextum, quod paulo post principium ejus vitæ descripsimus, in Sacrario repositum; Ex monumentis Monasterii Sancti Pauli de Urbe. Ex Gabriele Buce- lino in *Bened. rediv. ad ann. 1650. ex Felice Egger in Idea Ordinis Hierarch. Bened. par. 1. dissert. 5. num. 8. pag. 184. & sequen.*, ubi prolixum in ejus laudem textit elogium. Iterumque *par. 3. dissert. 3. num. 3. pag. 411. & seqq.* ubi ejus Vitæ Synopsim exhibet.

I. BERNARDUS PRÆSTONUS, sive Udlestonus Anglus prænobili gene- re ortus, Fratris Filius Thomæ Præstoni Monachi Casinensis viri doctissimi, qui pro Orthodoxæ Fidei prædicatione in Angliæ Regno annos plurimos dirum carcerem, in eoque longum Martyrium, ad mortem usque, invicta constantia sustinuit: At Bernardus Casinum missus ab hoc ipso patruo suo, monasticum ibidem cucullum sumpsit anno 1627. die 9. Novembris; quo tectus ingentes illico, ac raras animi dotes omnibus patefecit, easque in dies adeo auxit, & ad perfectum culmen perduxit, ut cuncti ejus societatem, & confortium certatim expeterent, utpote de summa utilitate, quam inde percepturi erant, securi. Quamobrem Prior Canobii S. Liberatoris de Majella in Samnio, quod Casinensi Monasterio subest, enixe Abbatem rogavit, ut Bernardum eò mitteret, eidem Canobio magno decori, sibi solamini, Fidelibus adificationi futurum. Annuit libentissime Casinensis Archimandrita, & Bernardum illuc secum adduxit.

*Olim Neca-
 tes.*

Devotio.

Charitas.

Humilitas.

*Reliquæ vir-
 tutes.*

II. Ibi vir egregius mirum quantum illi populo in Confessionibus assiduè excipiendis, in divinis mysteriis sanctè celebrandis, in sacra demum Synaxi religiosissime persolvenda verbo, & exemplo profuerit. Itaque ejus virtutum fama per totam Samnii Provinciam pervagante, gentes omnes illum, & Sanctum habebant, & appellabant. Casinum reversus Peregrinorum Xenodochio, & Infirmorum curæ præficitur, ut qui charitate in Deum, & proximum flagrabat, in latissima illa palæstra eam exerceret. Præditus quoque erat alia præcipua virtute, & ad ejusmodi munia per quam necessaria, profunda videlicet humilitate, qua non solum ægrotis in qualibet eorum necessitate propriis ipse manibus inferviebat, sed actibus etiam pluribus, qui nonnisi per Fratres Commissos, & Monasterii famulos peragi solent, operam dare, tamquam omnium novissimus, non dedignabatur: Abstinentiam à carnibus, paupertatis rigorem, Monastica observantiæ zelum studiosissime custodivit, omnem denique vivendi methodum, quam in Tyrocinio didicerat, usque ad obitum diligentissime servavit: Erga alios summè misericors libenter ipse necessitatem patiebatur, ut indigentibus, & quandoque etiam minus indigentibus subveniret, quod cum aliquando etiam carceribus mancipatis præstasset, nummos omnes sibi ad peculiare quosdam usus ab Abbate concessos, eis elargitus, non est ausus deinceps per eandem carceris viam amplius transire, ne inanis gloriæ aura, vel leviter eum afflaret.

Obedientia.

III. Ad regimen Monialium nostri Ordinis in Oppido Taleacotio ejusdem Provincie Samnii, nunc Aprutii ulterioris, ab Abbate missus, quanto potiore ipsa vita obedientiam haberet, vel tunc maxime ostendit. Nam quamvis à Medico peritissimo accepisset, locum illum ejus valetudini admodum noxium futurum, nihil tamen est moratus, quin statim illuc pergeret, & in demando sibi munere constantissime persisteret, ibi quoque pro magno Dei famulo illicò ab omnibus agnitus, & honoratus. Itaque sibi perniciosi aëris mo-
 lestia

lestia sensim afflicta, insanabilem morbum contraxit, ex quo cum se moriturum audivisset, tamquam ad rei felicissimæ nuncium in illa verba prorupit, *Letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; mox è lectulo surgens, & super nudam humum genua flectens, Sacram Euchari- stiam summa reverentia suscepit, & paulo post, dum gratiarum actionem perageret, in manus Domini spiritum tradidit circa annum 1650. Ejus corpus tumulatum fuit in Ecclesia prædictarum Monialium Sanctis Cosmæ, & Damiano dicata, & peculiari loco repositum juxta aram maximam è regione Epistolæ contra earumdem Monialium crates in ipsarum solamen, quæ tanti Patris jacturam uberrimis lachrimis deplorabant.

Ex ejus elogio à Cornelio Ceraso Monacho Casinensi, & Priore titulari compo- sito, quod cum aliis variorum ab eodem fideliter scriptis asservatur ineditum in Tabulario Casinensi. Ejus item meminit Felix Egger Petrusian. *Idea Ord. Hier. Ben. Libell. 2. Par. 3. dissert. 3. pag. 426.*

Ejus gentilis Joannes Præstonus Monachus Benedictinus excepit professionem Catholicæ Fidei Caroli II. Angliæ Regis prope diem morituri (quam tamen multo antea clam coluerat) eumque ab Hæresi absolutum Sacro Christi Corpore munivit anno 1685: quod cum aliàs à D. Albano Anglo Benedictino pariter Monacho, & Congreg. Anglicanæ Romæ Generali Procura- tore didicissem, nuper etiam idem legi in Tabulis Chronol. Gravesonii *Tom. 9. pag. 219. in medio.*

I. FRATER BERTHARIUS PISCIS cognonine, natus est in Oppido Lau- ro Nolanæ Diæcesis. Ab infantia morum gravitatē, & probitatem præferens, futuræ virtutis specimendedit. In juventutis flore mundū aufugiens, ne aliena malitiæ exemplū mutaret intellectum ejus, in Casinate Montem veluti Sanctitatis Asylum se se recepit, ut illic solitariam vitam ducere, quod in votis ha- bebat, sibi daretur, ac si illud Justo Loth olim dictum audivisset, *in monte salvum te fac.* Abbas, Apostoli dictum à Sanctissimo Legislatore nostro in Re- gula allegatum servandum sibi proponens, *Probate Spiritus si ex Deo sunt*; Ty- ronem infimis domus servitiis, culinæ videlicet, Xenodochii, & similibus deputavit, diuque detinuit, ut ejus humilitatis, ac patientiæ periculum fa- ceret; optimè id cessit, nam ejus virtus velut aurum in fornace purgatum, ta- libus in exercitiis clarius eluxit; Ea igitur Spiritus firmitate persuasus Ab- bas, divinam ejus esse vocationem, Religionis habitu, & Fratris Bertharii nomine eum donavit anno 1655. quo Bertharius trigessimum primū æta- tis suæ annum agebat. Voti igitur compos effectus tanto studio perfectioni aquirendæ insudavit, ut brevi temporis spatio non æquales solum ætate, sed majores etiam in spirituali gymnasio longe superaverit; quali autem virtu- tum soliditate esset præditus interius, ex verbis, atque exterioribus actibus manifeste apparebat, veluti ignis quamvis absconditus ex iplo calore se pro- dit: omnia enim ejus eloquia nil nisi mundi contemptum, regularis vitæ per- fectionem, Dei, ac proximi amorem spirabant, ad orationem quippe velox, ad pietatis opera paratus, & expeditus, ad inserviendum omnibus impiger semper inveniebatur; denique hilaritas in vultu, humilitas in opere, & actionibus, modestia, & gravitas in incessu, Angelicis ornatum moribus Bertharium cunctis ostendebat.

Porro in Canobio hac munia potissimum exercuit, bis diuque rem coquina- riam curavit, quo in officio patientiam, & charitatem erga omnes serva- vit, itemque Panificio præfuit, apud S. Germanum etiam Penum admi- nistravit; ubique summa fidelitate, & incredibili omnium gaudio, & appro- ba-

B

Infirmitas

Psalm. 112.

B

Fuit is Pe-
trus Anto-
nius Calen-
sius à Fra-
etis.

batone; Anno demum 1683. laboribus, ac infirmitatibus confectus, ex corporeo carcere ad immortalē vitam transiit, in cæmeterio S. Annæ sepultus. Antequam verò animam Deo redderet, Medicus, qui moriendi necessitatem in proximo futuram indixerat, utpote qui de ejus singulari probitate optime persuasus, illius animam Deo dilectam crederet, eum enixè rogavit, ut post obitum Deo se commendaret, unâque consanguineum suum a malignis spiritibus dire vexatum, nec multo post Medicus Casino digrediens, ut patriam repeteret, prius quam ad eam perveniret, ex equo descendit, & reliquum viâ pedibus conficere instituit, cum ecce equus in præcipitium quoddam incidit, in quo ille si adhuc equo infedisset, ingens vitæ discrimen minime erat evasurus. Consanguineus quoque à Dæmonis vexatione immunis deinceps fuit, quod utrumque Medicus Fratris Bertharii intercessionem acceptum retulit; item Religiosus quidam Cænobii Casinensis gravi laborans tentatione, ad sepulchrum ejusdem Fratris Bertharii orans, eique sese commendans, ab ea animæ molestia, ac periculo liberum se profus sensit.

Ex elogio Historico P. D. Cornelii Ceraso à Neapoli ejusdem Fratris Bertharii Synchroni, quod una cum aliis Casinensium Monachorum sui temporis elogiis ab eodem conscriptis asseruatur in Tabulario Casinensi.

Ego quoque eundem Fratrem Bertharium admodum juvenis Casini vidi anno 1680., & apud omnes singularis probitatis fama, & veneratione flore re cognovi.

FR. BONAVENTURA à Mantua Conversus, seu ut nos dicimus Commissus in Monasterio S. Benedicti de Padolyrone, *vir Sanctus* dicitur à Bened. Luchino in Chronico M. Comitiss. Mathildis c. 82. pagina 165., qui anno 1518. à Rusticis, & Colonis contra Monasterium rebellantibus, & consuetam frugum partem, aliaque servitia deinceps persolvere detrectantibus, occisus fuit in via, quæ ducit ad Ecclesiam B. M. Virginis Vallis viridis nuncupata, in cujus sacello idem F. Bonaventura ejusdem Luchini tempore depictus videbatur, coronam orariam manu gestans, radiisque redimitus caput, sicuti viri Sanctitatis fama celebres depingi consueverunt, nam Martyrem eum dici posse Luchinus asserit, quod propter justitiam, & in odium Monasterii justa, & consueta exigentis, à nefariis illis sit interemptus.

